

**2. Supreme Tribunal of the Apostolic Signatura, definitive decree of the College *coram* Sandri, *Dismissal*, prot. n. 53159/17 CA, September 17, 2019.**

---

**Prot. n. 53159/17 CA**

**N**

***Dimissionis***

**(Rev.dus X – Congregatio pro  
Institutis vitae consecratae  
et Societatibus vitae apostolicae)**

**DECRETUM DEFINITIVUM**

*IN NOMINE DOMINI. AMEN*

FRANCISCO PP. feliciter regnante, Pontificatus sui anno VII, die 17 septembris 2019, Supremum Signaturae Apostolicae Tribunal, ad normam art. 21 *Legis propriae* H.S.T. et probante Em.mo Praefecto in Congressu diei 26 octobris 2018, videntibus Em.mis ac Rev.mis D.nis Dominico Card. Mamberti, *Praefecto*, Leonardo Card. Sandri, *Ponente*, et Iosepho Card. Versaldi, intervenientibus Cl.ma Martha Wegan, utpote Patrona Rev.di Recurrentis, necnon Cl.ma Lucia Theresia Musso, tamquam Patrona Congregationis pro Institutis vitae consecratae et Societatibus vitae apostolicae atque Rev.mo D.no Ioanne Paulo Montini Promotore Iustitiae H.S.T., in causa, de qua supra, hoc definitivum tulit decretum.

## I. FACTI SPECIES

1. Rev.dus X, die 17 octobris 1964 natus, anno 1990 in Societatem Iesu ingressus et anno 1995 presbyter ordinatus est. Inde ab anno 1999 varia officia in Collegio v.d. T intra dioecesim N explevit. Vota perpetua anno 2011 utpote “coadiutor spiritualis” emisit.

Rev.dus X mense iulio 2014 communitatem religiosam deseruit. Die 5 februarii 2015 ab officio oeconomii Collegii T in civitate N amotus est. Ob quaestiones administrationem foundationis v.d. P *Foundation*, cum praefato collegio connectae, respicientes Provincia M Societatis Iesu die 13 februarii 2015 causam penes Forum civile in W adversus Rev.dum Recurrentem inchoavit. Superiores dein etiam processum dimissionis ab instituto peregerunt.

Congregatio pro Institutis vitae consecratae et Societatibus vitae apostolicae, decreto die 12 novembris 2015 lato, dimissionem Rev.di X diei 13 aprilis 2015 revocavit, quam Superior competens ob inoboedientiam ex can. 696, § 1 decreverat, et quidem ob motiva in decreto dimissionis omissa (cf. can. 51). Ipsum autem Dicasterium, data occasione, admonere voluit

revocationem minime probavisse modum agendi eiusdem Rev.di X, immo addidit absentiam illegitimam a domo religiosa, diu protracta, si et quatenus perseveraret, causam dimissionis ob illegitimam absentiam a domo religiosa inchoandam esse.

Commercio quodam epistulari cum Rev.do Recurrente peracto, Rev.mus Superior Provincialis, litteris die 22 ianuarii 2016 datis, Rev.dum X ad Collegium Z dicatum in civitate V cum effectu inde a die 1 martii 2016 transtulit, ut auxilio esset auctoribus ephemeridis vulgo dicti Q.

Die 7 februarii 2016 Rev.dus X respondit, duabus rationibus adductis, se praeceptum illud implere non posse, nempe ob oculorum infirmam valetudinem et munus in W explendum quod saltem usque ad annum 2018 derelinquere non poterat.

Quibus argumentis receptis, Rev.mus Superior provincialis, litteris die 15 februarii 2016 datis, praeceptum oboedientiae confirmavit quoad domum religiosam in civitate V, dilata tamen decisione circa munus ibi explendum.

Rev.do X renitente, Rev.mus Superior provincialis, audito consilio, iter dimissionis inchoavit: prior monitio diem 31 martii 2016 utpote

terminum translationis statuit; die 1 aprilis 2016 altera lata monitione, termino diei 30 aprilis 2016 addito data, Rev.mus Superior provincialis et tertiam monitionem edere voluit, die nempe 7 iunii 2016 cum termino diei 30 eiusdem mensis.

Rev.mus Superior provincialis cum suo consilio censens constare de insanabili pertinacia Rev. X, die 11 iulii 2016 acta omnia ad Superiorem generalem misit, qui cum suo consilio dimissionem Rev.di X die 29 augusti 2016 decrevit.

2. Recursu hierarchico die 17 septembris 2016 praebito, Rev.dus X ad Congregationem pro Institutis vitae consecratae et Societatibus vitae apostolicae provocavit, quae, decreto die 7 iunii 2017 lato, recursum reiecit et dimissioni de qua adhaesit.

Beneficio novae audientiae die 24 iunii 2017 petito, Rev.dus X die 14 augusti 2017 ad H.S.T. provocavit.

Interea Congregatio pro Institutis vitae consecratae et Societatibus vitae apostolicae, tenens terminum de quo in art. 135, § 1 *Ordinationis generalis Romanae Curiae* ex tribus mensibus constare, responsionem prorogavit usque ad diem 31 decembris 2017 et, tandem aliquando, die nempe 27 februarii 2018, “in decisis” decrevit.

Re tandem rite discussa inter Cl.mam Martham Wegan, Patronam Rev.di Recurrentis, Cl.mam Luciam Theresiam Musso, Patronam ecclesiasticae auctoritatis, et Rev.mum Ioannem Paulum Montini, Promotorem Iustitiae, H.S.T. Congressus decreto diei 26 octobris 2018 statuit *recursum non esse admittendum et facto non admitti ad disceptationem coram Collegio Em.morum et Exc.morum H.S.T. Iudicum, quippe qui manifeste quolibet caret fundamento.*

3. Die 30 novembris 2018 Cl.ma Rev.di Recurrentis Patrona litteras a Rev.do X die 29 novembris 2018 ope cursus electronici datas et recursum ab ipso Rev.do Recurrente eodem die transmissum apud H.S.T. exhibuit declarans se praefato recursui ad Collegium Em.morum et Exc.morum Iudicum adhaerere.

Exarato brevi voto et mente pro rei veritate a Rev.mo Promotore Iustitiae, nunc Nobis decidendum est: *An decretum Congressus, die 26 octobris 2018 latum, in casu, reformandum sit.*

## II. IN IURE ET IN FACTO

4. Codex Iuris Canonici agit de voto oboedientiae praecipue in can.

601. Cum votum oboedientiae pertineat ad essentialia status religiosi (cf. LG 42 et PC 14), patet quod “eiusdem oboedientiae defectum continuatum et gravem merito inter causas graves recenseri, propter quas dimissio e religione, servatis de iure servandis, decerni possit” (sententia definitiva coram Felici diei 21 novembris 1981, prot. n. 11439/79 CA, p. 4). Quapropter “pertinax inoboedientia legitimis praescriptis Superiorum in materia gravi” inter causas dimissionis recensetur in can. 696, § 1.

Obligatio oboediendi, utique, deest si “aliquid iniungitur, quod legibus divinis vel constitutionibus Instituti manifesto adversatur, aut quod malum grave et certum secumfert” (Paulus VI, Adh. Ap. *Evangelica testificatio*, d. 29 iunii 1971, n. 28; cf. sententia definitiva coram Palazzini, diei 23 ianuarii 1988, prot. n. 15721/83 CA, n. 12), nullo autem modo si legitimi Superiores urgent obligationes a iure universali vel proprio sanctas.

Recursus ad Collegium Em.morum Exc.morumque H.S.T. Iudicum consistit in litteris ipsius Rev.di

1. For the full text and an English translation of the cited definitive sentence, see, respectively, *Commentarium pro religiosis* 63 (1982) 77–80 and *CLD* 10:123–127.—Ed.

2. For the full text and an English translation of the cited definitive sentence, see *Ministerium Iustitiae. Jurisprudence of the Supreme Tribunal of the Apostolic Signatura. Official Latin with English Translation*, trans. William L. Daniel, Gratianus Series (Montreal: Wilson & Lafleur Ltée, 2011) 203–230.—Ed.

Recurrentis, die 29 novembris 2018 subscriptis, quas Cl.ma Patrona die 30 novembris 2018 penes H.S.T. exhibuit declarans se iisdem adhaerere. Rev.mus H.S.T. Promotor Iustitiae in brevi voto diei 21 ianuarii 2019 ad votum pro rei veritate diei 9 octobris 2018 remisit, eo quod: “nullum argumentum adversus Congressus decretum adducatur, quin ab eodem decreto iam aequè libratum sit”.

Iuxta constantem H.S.T. iurisprudentialiam: “Pertinax inoboedientia peragendi translationem ad aliam domum religiosam est causa gravis ad religiosum dimittendum” (decretum definitivum coram Glemp diei 14 maii 2009, prot. n. 40651/07 CA, n. 6; decretum definitivum coram Sabattani diei 7 iunii 1986, prot. n. 15573/83 CA, n. 8). Translatio Rev.do X a Rev.mo Superiore provinciali hisce verbis praecepta est: “I assigned you to live in the Z . . . , V, and to work in the . . . Q”, quam Rev.dus X pertinaciter exsequi recusavit.

5. Argumenta a Rev.do Recurrente et eius Patrona iam ante Congressum et denuo in recursu ad Collegium adducta ab oboedientia non excusant:

3. For the full text and an English translation of the second here listed, see *ibid.*, 165–186.—Ed.

– Praeceptum translationis impositum est ad irregularem condicionem Rev.di X sanandam (“to regularize your status in the Society”);

– Quamquam Rev.mus Superior provincialis Rev.dum Recurrentem die 9 ianuarii 2014 invitavit ad habitationem sibi procurandam et ipse die 14 iulii 2014 vitam extra domum ob difficultates vitae communis et infirmitatem oculorum ducendam petiit, Rev.mus Superior provincialis conatus est condicionem extra domum quoad modum, tempus, locum et sustentationem legitimam reddendam;

– Praefata invitatio data non est ad infinitum nec eximit a voto oboedientiae.

6. Relate ad translationem in V, ut cooperaret in redactione ephemeridis non obstante morbo oculorum, animadverso quod:

– Ipsa Rev.di Recurrentis Patrona codicillum solutionis honorarii diei 25 ianuarii 2018 ad medicos in M degentes solutum exhibuit, quod vero comprobatur eum iter peragere posse;

– Rev.mus Superior generalis, a Rev.do X post primam monitionem interpellatus, litteris die 21 maii 2016 datis, asseruit: “When you have incorporated yourself in the house he has decided for you, only then will there be time to discuss



with him how far that mission is harmful to your health or incompatible with your delicate state of sight after your two recent operations”.

7. *Nec excusant processus in foro civili die 13 februarii 2015 a Rev.mo Superiori provinciali et dein 28 augusti 2018 ab eius successore inchoati nec sanctiones disciplinares die 25 novembris 2015 a v.d. W Law et G Society Advocato Rev.mi Superioris provincialis irrogatae:*

– Sententia fori civilis, quam Rev.dus X contendit eum die 22 februarii 2018 absolvisse, nec de ratione dimissionis, nempe de pertinace inoboedientia legitimis praescriptis Superiorum, de qua in can. 696, § 1, versa est nec directe cum recusatione Rev.di X praeceptum translationis exsequendi conexa est;

– Processus civilis ope advocatorum procuratorum sequi potest etiam ad distantiam utpote processus contentiosus administrativus a Rev.do Recurrente apud H.S.T. introductus et recursus ad collegium prosecutus demonstrat;

– Iurisprudencia H.S.T. introductionem causae civilis adversus sacerdotem vel religiosum ex parte proprii Ordinarii, positus ponendis, contra legem canonicam esse non consideravit (cf. Decretum definiti-

vum coram Rouco Varela diei 15  
ianuarii 2016, prot. n. 47390/12 CA).

8. Abusus potestatis Superiori  
provinciali attribui non potest, quia:

– Praeceptum translationis im-  
positum fuit post binam inter-  
pellationem Rev.di Recurrentis  
epistulis dierum 15 decembris 2015  
et 7 ianuarii 2016, quibus Rev.mus  
Superior provincialis eum de domo  
seligendo frustra consulere tempta-  
vit, nulla obtenta propositione;

– Dimissio a Supremo Modera-  
tore cum Consilio collegialiter decisa  
et a Congregatione confirmata est;

– Nec Praepositus generalis nec  
Congregatio in processu coram  
Foro civili W interfuerunt.

Ex quibus expositis, non exstat  
impossibilitas physica vel moralis  
relate ad praeceptum translationis;

Impugnatum Congressus decre-  
tum, ad quod ceterum remittimus,  
igitur plene sustinetur.

### III. CONCLUSIO

9. Omnibus sive in iure sive in  
facto aequè rimatis, infrascripti  
Iudices, Christi nomine invocato,  
pro Tribunali sedentes et solum

4. See *Ius Canonicum* 61 (2021) 437–445.—Ed.

Deum prae oculis habentes, dubio respondendum decreverunt et facto respondent:

**NEGATIVE, seu decretum  
Congressus, die 26 octobris  
2018 latum, in casu, non esse  
reformandum.**

Expensae processuales solventur ex cautione a Societate Iesu deponenda. Quoad honorarium vero Cl.mae Rev.di Recurrentis et Cl.mi Auctoritatis ecclesiasticae Patronae iam satis provisum est in impugnato Congressus decreto.

Ita pronuntiamus ac statuimus, mandantes iis quorum interest, ut hoc Nostrum definitivum decretum executioni tradant, ad omnes iuris effectus.

Datum Romae, e sede Supremi Signaturae Apostolicae Tribunalis, die 17 septembris 2019.

Dominicus Card. MAMBERTI,  
*Praefectus*  
Leonardus Card. SANDRI,  
*Ponens*  
Iosephus Card. VERSALDI

Et notificetur.

Die 18 maii 2020

+ Iosephus SCIACCA  
*Secretarius*

Marius LEITE DE OLIVEIRA  
*vices Praepositi Cancellariae gerens*